
QUIEN
MENOS EN TI
TUVIERE VIVIRA
QUANDO
MURIERE

I



EXCELLENTISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO,

D. D. EMANUELI DOMS SANTA PAU SANTMANAT ET LANUZA,

MARCHIONI DE CASTEL DOS RIOS, Regni Hispaniæ Dynaste, Regi Catholico à Consiliis Bellicis, ejusque in Galliam Legato, antehac Proregi Majoricæ, & in Lusitaniam Legato, nunc Regni Peruviani, Chile, Terræ firmæ Proregi, & rei bellicæ Præfecto designato,

PATRONO SUO COLENDISSIMO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii sextâ Junii, 1703.

M. JACOBO DE BOURGES, Doctore Medico, Præside.

An Infantum nævi ab imaginatione Matrum?

I.

MIRABILIS fœtûs cum utero Materno nexus! Adeò intimus, ut hominem integrum integri hominis dicas esse partem. Uteri glandulæ post conceptum lacteo paulatim liquore turgescentes in placentulæ membranâ reconduntur molli: Glandulæ verò placentæ sensim accrescentes glandularum uterinarum intercapedinibus insiguntur. Hac mechanice mutuò sese tangunt firmiterque cohærent uterus & placenta, viaque alimento ad fœtum ex corpore Matris deferendo facilior paratur. Alimentitium humorem

Chylum per vaſa Meſenterii lactea in uterum transfundi, oculatiori autopſiæ planè repugnat: Vaſa namque illa, quæ in belluarum prægnantium utero conſpicua albeſcunt, ſummiſque compreſſa digitis lacteum profundunt ſuccum, non ex Meſenterio ſed ex arteriis uterinis prodeuntia, veluti propagationes quædam in veſiculoſas uteri glandulas terminantur. Uteri vaſa vaſis placentæ connecti & inoſculari, merum eſt Anatomicorum parum diligentium figmentum. Succus enim lacteus ex glandularum uteri canaliculis ſtillans, poros membranæ placentam obtegentis ſubeundo, in ipſius placentæ glandulas elutriatur. Inde Matris à naturâ inſtitutum cum fœtu commercium, tamdiu duraturum, quamdiu amica illa inter utrumque copulatio duraverit. Hìc jure dicas optimo συμπαθέα πάντα. Ut fœtus à Matre alimoniam, ſic multa mala ſolet mutuari; etenim, quo morbi hæreditarii in parente fovebantur, fermento una cum alimoniâ tranſmiſſo in longam prolem non raro propagantur. Suo certè domicilio viventi fœtus ita mancipatur, ut ipſa Matris imaginatio in eum dominetur.

II.

HOMINUM mens divinæ particula auræ, incorporea ſubſtantia, omnis extenſionis expers; hujus & corporis conjunctio opus ſummo Creatore dignum, humanum captum fugiens. Corporis fabrica tribus adminiculis concatenatis ſuffulcitur, ordinato ſpirituum influxu, ſanguinis moderatâ fermentatione, & ſolidarum partium tenſione congruâ: Sanguinis circuitus his benè conſtitutis inculpatè abſolvitur; ſpirituum fons ſanguis; tonus partium à ſpiritibus; fermentatio à ſalibus; nec ætherem excludas. Serie reciprocâ omnia in unum conſpirant; alterum vacillat? reliqua nutant. Qui ſine ſuccorum fermentatione, omnia pinſantes, hæc fieri contendunt, ineptè cum naturâ tricantur. Animæ verò natura in cogitationibus tantùm conſiſtit; hæ inconſtantis ergaſtuli, in quo illa veluti in ſervitute detinetur, excitantur repetitis motionibus. Objectorum externorum occaſione nervorum extremitates organis inſertæ agitantur, vibranturque; hujuſmodi motio per tractum nervorum ad cerebum uſque interruptâ vibratione continuatur: Spiritus cerebri incolæ juxta ſuſcepti motûs impreſſionem in quaſdam veluti undulationes intra ipſum cerebrum aguntur; hinc perceptio & quædam ſimul imaginatio. Refluxum ſpirituum ab organis ad cerebrum ſi admittas, adverſo flumine Philoſophiam tranſnatabis: Hi ſiquidem ex cerebro tamquam ex fonte indeſinenter ſcaturiunt, non itaque contrario motu ad originem recurrent. Natura uniuſmodi eſt, ſimpliciterque operatur. Si intra cerebrum, abſente licèt objecto, idem quem in illius præſentiâ ſpiritus obtinuerant, motus redierit, eadem excitatur idea, veraque ſequitur imaginatio; quæ eò fortior diſtinctiorque erit, quò motus ſpirituum facilior, expeditiorque. Tota illa mirabilis incorporeæ ſubſtantiæ cum materia conſpiratio in eo ſtat, ut quaſdam animæ perceptiones certi corporis motus; & viciſſim quaſdam corporis motiones certæ cogitationes mentis conſequantur.

III.

NATURÆ instrumentum ad omnia motus est localis, tanto faciliùs communicandus, quanto corporum movendorum resistentia minor. Natura mulieres molli & delicato fibrarum contextu donavit; hanc corporis teneritudinem vitæ institutum non parum fovet & auget: Nervi tenuiores pulsati quemadmodum fides fortiùs & citiùs contremiscunt: Mulierum mens præ virorum mentibus multò minùs variis ideis intenta objectorum, quibus maximè attendit, impressiones retinet pertinacissimè, quarum conceptæ ideæ vix possunt deleri, sed manent altâ mente repostæ, spiritibus eadem in cerebro vestigia insculpta sponte repetentibus & subeuntibus, semper rediture. Hæc enim vestigia tam altè impressa spiritus frequentiùs terunt; etenim cùm fluidâ sint substantiâ præditi, versùs illam procliviùs feruntur partem, quâ via maximè patet, quamque sibi repetitis per cerebrum cursibus ipsi excavârunt. Verumenimverò ea est mechanica cerebri constructio, ut spiritus hujusmodi vestigia subire nequeant, quin ex illis exilire & reflecti teneantur, ad eos potissimum nervorum tubulos, qui objectorum iconibus in cerebro adumbratis è regione respondent. Hunc spirituum reflexum motum variæ corporis actiones consequuntur, obscurissimo olim sympathiæ & antipathiæ mysterio designatæ, facilè verò hodie mechanicâ ratione explicabiles. Cave tamen, credas spiritus ita resultantes, dum ad diversas feruntur corporis regiones, illâ, qua sigillati fuerant in cerebro, ἰχνογραφίᾳ penitus spoliari.

IV.

NIMIUM nasuti homines nævos infantibus per matrum imaginationem inuri omnino negant; sed, *Nasutus sis usque licèt, sis denique nasus*, quotidiana contrarium suadet experientia; etenim infantes plurimos characteribus huic aliæve rei similibus commaculatos videmus: istiusmodi stigmata suis imaginationibus Matres referenda esse conclamant, cùm similia videantur rebus, quibus illæ in graviditate attentâ contemplatione studuerunt. Stupendi hujus & sæpè constantis effectûs causam in fortuito liquorum concursu ponere, hominis est ab optimâ physices ratione plurimùm aberrantis. Meliùs in scopum collimare videntur, qui dum phænomeni rationem reddere conantur, non suæ, sed matrum imaginationi attendunt. Quibusdam objectis prægnantes admodum afficiuntur; jucundæ enim rei visione exultant, illiusque possidendæ desideriô conflagrant; objecti tristis miserique conspectu mærent; novâ re aut ostento quodam nimiùm icuntur, & in admirationem abeunt. In his omnibus animi commotionibus spiritus è cerebri vestigiis impetuosè ad diversas corporis partes reflectuntur, ita modificati & iconici, ut objectorum imaginem in tenero fœtûs corpore queant delineare: Figura enim & character cujusque corporis ut in aliud fideliter transeat, intercedere debet intimus utriusque corporis contactus, pressio sufficiens, distinctus omnium suarum partium in agente schematismus & materia obsignanda conveniens. Hæc omnia, si quæras, in fœtu & Matris spiritibus reperies.

V.

VEHEMENTER errant, qui spiritus utpote fluidos nullâ posse figurâ obsignari ineptè credunt. Nil fluidius lumine; quod nihilominus figuras rerum repræsentat. Quid lumen sit, quæris? Globulosam materiam solidam & summè agitatam Cartesius obtrudit; at meliùs certè nostri temporis celeberrimus quidam Philosophus, nullum elementum præter materiam subtilem & crassam admittens, lumen esse materiæ subtilis minutissimos vortices ingeniosus contendit; hi enim (sive mavis) globuli utcunque spiritibus fluidiores videntur, & tamen ex singulis objecti punctis exilientes in oculorum retinâ vel in pariete cubiculi atrati vitro artificiosè muniti objectorum simulacra depingunt, quovis licèt vento agitati, aut magnum spatium emensi, aut in oculorum humoribus, & vitro refracti; id nunquam efficerent, nisi compendiarias objectorum imagunculas suis particulis imitarentur. Quidni & etiam animales spiritus, quantumvis fluidi, vestigiorum cerebri modificationem retinebunt? postmodùm in tenero fœtûs corpore insculpendam aut delineandam. Nec te minùs erudiet hunc spirituum constantem characterem fortissima melancholicorum imaginatio, qui, dum canes & interdum pullos aut alia animalia se absurdè credunt, per spiritus in vestigiis cerebri jam obsignatos vocis instrumenta & corporis partes ita contorquent, ut latrando gestiant, & pipiendo saltent. Viam quæris, per quam ita figurati spiritus ad fœtum deveniant? Adsunt nervi ad omnes corporis partes protensi, quorum spiritus succo intermisti lacteo possunt ad corpusculum fœtûs commeare. Quapropter mirum minimè videri debet, si Infantes tanquam imaginationis Matrum servi stigmatici & notis compuncti in mundi scenam exeant.

Ergò Infantum nævi ab imaginatione Matrum.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ludovicus-Franciscus Dutal.
M. Michaël-Ludovicus Reneaume de la Garanne, è Regia Scientiarum Academia.
M. Ludovicus Demondiers Dugué.
M. Raymundus-Jacobus Finot.
M. Claudius Berger, è Regia Scientiarum Academia.
M. Philippus-Bernardus de Bordegaraye.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.
M. Joannes Boudin, Serenissimi Delphini Principis Medicus Primarius.

Proponebat Parisiis PETRUS AZEVEDO, Hispanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medecinæ Typog.